D. M... Pazzis

Łodzinski Antonii franc: Viridarium sanctitatis in Carmeli solo plantatum —

VIRIDARIUM SANCTITATIS

IN

CARMELI SOLO PLANTATUM

D. MARIA MAGDALENA DE PAZZIS,

Annuâ suæ Festivitatis recurrente die,
In Basilicâ Celeberrimi Conventûs Cracoviensis Majoris Perantiquæ Regularis Observantiæ PP. Carmelitarum,

Devotâ Panegyri,

In numeroso Magnorum Hospitum concursu.

AB

ANTONIO FRANCISCO RADWAN
de Choragwica
ŁODZINSKI,
Burgrabida Cracoviensi, Philosophiæ & Iurisprudentiæ in Alma Academia Cracoviensi Auditore

PRODUCTUM.

Annô quô
Magno De CæLo fLoret ReX VIVIt & Hortô.
Die 25 Maji.

CRACOVIÆ, Typis UNIVERSITATIS.

In Stemma
CELSISSIMÆ
LUBOMIRSCIORUM
DOMUS.



Nec Tagus aut Ganges pretiosas jactet arenas
Hic FLUVIUS superat, quidquid uterq; vomit
Gemmas hinc Patriâ Argentum piscatur & aurum
Illis sceptra micant, eminet his Patria
Quotq; Viros numerat Domus hæc LUBOMIRSCIA, crede
In decus hos Regnis in pretiumq; datos.

CELSISSIMO
AC
ILLVSTRISSIMO
DOMINO,
D. GEORGIO DOMINICO
COMITI in WISNICZ & JAROSŁAW
LUBOMIRSKI,
SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI,
Succamerario Regni, Exercituum Regni Generali,
Olsztinensi, Casimiriensi, Raciascensi, Uticensi,
CAPITANEO.

Domino Patrono Colendissimo.

IN *prodigiosa Thaumaturgæ* MARIÆ *Arena. Virtutum Floribus conspicuum* VIRIDARIUM, *quod minùs floridò verborum cultu adumbravit facundia, à* Celsissimæ Domûs Tuæ *splendoribus Serenum, & à Tuo* SRZENIAVA *vigorem exoptat.* Celsissime ac Illustrissime Domine. *Nec alibi venustius suam Orbi explicare potuit amænitatem, quàm ad Soli æmula* DOMVS Tuæ

Lumina, & *per spatiosos Lechiæ Campos diffusa* SRZENIAVÆ *Fluenta*. *Imò gratiorem Orbi spirabit odorem, cum* Tuô *Calis gratissimo* AMNE *fæcundabitur. Et licet in stelliferi Carmeli plantatum vertice, plenô Gratiarum* MARIÆ *inundetur Oceano, ut tamen augmentatîs Florum delicijs universum solenniùs recreet Orbem, etiam* Tuô *allui cupit* FLVMINE. *Nilum dixerim* Celsissimum SRZENIAVAM: *qui plùs quàm septem ostijs Lechicos inundat Campos & victricibûs fæcundat Palmis. Aurea Gentis Polonæ Libertas, quòd hactenùs ad invidiam Gentium floreat*, Celsissimæ LVBOMIRSCIORVM *debet* DOMVI. *Aruisset utiq; toties inter ignitos furentis Gradivi ardores, nisi ab Eorum Fonte vigorem derivaret. Oceanus est* Celsissimus SRZENIAVA, *purò illimis honore, quem exiguo stillantem rivô, nemini unquàm videre licuit, cùm pretiosâ tempestate in commoda Patriæ, plenô exundet alveo. Tutiùs huic* FLVMINI *quàm æquoreis quondam fluctibus Cæsaris fortuna, toties felicitatis Polonæ commissa Navis ad bonæ spei Promontorium enatavit, nunquàm scyllas charybdesq; experta nisi in perniciem hostium latrantes. Formidavit à longè etiam pacatos* SRZENIAVÆ *fluctus naufraga toties* Crucigerorum, Moschorum, Turcarum, Cosacorum, Valachorum, Suecorumq; *ambitio; inquibus horrendos experta scopulos, infami perijt naufragio. Felix ad* FONTEM *hunc Polonia, quoties inter ignes æstusq; Gradivi fervidâ auxilij flagrabat siti, toties eô refrigerata animum viresq; reficit.* FONS *hic pretiosissimus vel inde mirandus, quod cum omnium vota satiet & ditet, solos duntaxat Oratores inopes & sitientes inter undas Tantalos efficiat. Capere potiùs quam capi Eurippus hic natus, Ingeniorum cogitata excedit, eruditarum mentium sese in Encomia eviscerantium Ideas confundit, quibus ruborem injicit, supra vires esse, quod optant exprobrando. Nec mirum;* LVBOMIRSCIANVS *est, ab alto deductus, in immensum extensus, ipsâ vetustate pulcherrimus. Hic Cæsarrum Imperatorumq; Romanorum auctus sangvine, in Sarmaticos sese cum* DRVSO *Lechi* Comite *diffudit Campos, ut fæcundaret; fæcundavit, & illis decoribus, quæ Orbis mirari non desinit, exornavit. Coronis assuetus,*

tan-

tantâ annorum serie, nil nisi Principum Mitras, Ducum Clavas, Senatorumq; voluit Curules. Ex hoc Cœlis infuso Eridano *tot primæ magnitudinis prodiere sydera, Orbis Poloni Lumina & Columina.* MARCVS Comes in Lubomirz LVBOMIRSCIVS PALATINVS Sandomiriensis, *cui similem nulla protulit ætas Consilio vel Marte virum.* ALBERTVS LVBOMIRSCIVS *sui sæculi* Cyneas, *Magnus ad* Rudolphum I. Imperatorem *Legatus: ore manuq; adeò potens, ut in Comitem Imperij ab eodem assumeretur.* IOACHIMVS LVBOMIRSCIVS Capitaneus Iaslensis Legionum Præfectus, Sigismundi Augusti amor, Ludovici Hungariæ Regis *contra* Solimanum, belli Comes, *qui licet in martis acie occubuit, manet tamen illius fama superstes.* SEBASTIANVS Comes in Wisnicz & Iarosław LVBOMIRSCIVS Castellanus Woynicensis Tuus Celsissime PRINCEPS Proavus *Togâ Sagoq; clarus,* Rudolpho II. Imperatori, *ære propriô conductô Exercitu in auxilium ipse belli Fulmen advolavit,* Sigismundo III. *in expugnatione Smolensci, fortunatum fecit eventum.* STANISLAVS LVBOMIRSCIVS Terrarum Russiæ mox Cracoviensis Palatinus, Minoris Poloniæ Generalis Avus Tuus *mille Elogijs dignus, & Orbi regendo par. Quod heroicæ virtutis specimen monstraverit? tota Christianitas novit, & stupenda ejus gesta annuatim celebrat.* Ad Chotimum Campestris, mox Supremus Exercituum DVX, *superbo Orienti tristem intulit occasum, ut in ea ferrea tempestate* PATER Patriæ *dici mereretur: cujus virtutem admirandam in Oriente prospiciens* FERDINANDVS III. Romani Imperij mitrâ Eundem coronavit. IOACHIMVS LVBOMIRSCIVS Dobcicensis, Lipnicensis, Tymbarcensis, Capitaneus, *tenerâ manu ferrum stringere assuetus, Prætextæ sagum superinduit, sangvinem pro Patria fundere paratus,* Iuvenis Heros dum ad Smolenscum *excubat, occumbit, & vi febris occidit, qui manu hostis occidi non potuit.* GEORGIVS Comes in Wisnicz & Iarosław LVBOMIRSCIVS S. R. I. PRINCEPS Supremus Poloniæ MARESCHALCVS & Exercituum DVX Minoris Poloniæ GENERALIS, Tuus & Patriæ PATER *Purpurâ & sceptrô dignus, nisi ea servare potiùs quàm habere contentus, suô*

probâsset exemplò majus esse, Regna mereri quàm possidere. Si prælia & discrimina Oratores agere possent, hæc grande victorijs Invictissimi Ducis præberent testimonium. Pavore magis quàm rigente brumâ congelatus Septemtrio, in infamem fugam solvi suos flevit exercitus, ubi ille triumphales accendebat ignes, & barbarus ille Moschorum scytharumq; populus humanitatem didicit, ante Victorem LVBOMIRSCIVM prostratus. Ille ad Cudnovum, novum inauditumq; heroicæ virtutis fecit miraculum. Ad Piatkow & Słobodyscze, opimam victoriæ gloriam, & dulce pacis Patriæ dedit solatium, ibi sexaginta Moschorum, hic quadraginta Cosacorum millibus profligatis. Ebrio ambitione Principi Transylvaniæ Racocio ad Ostrow acerrimum flagellum, prostratis triginta millibus, vix aliquos, cum fœdifrago Principe dimisit, ut LVBOMIRSCIANÆ Magnitudinis & suæ cladis nuntij existerent. Ferox Othomanus, sua ex Chotimensi clade lambens vulnera, vel ad solam tanti NOMINIS recordationem contremuit. Furens Gotthicus Leo ardentes vomens ore flammas fatalem Poloniæ minabatur rogum; at postquàm Invicti Herculis triumphalem sensit Clavam, perenni cum opprobrio in sua redijt cubilia. Ut verò ampliùs LVBOMIRSCII famam agitatis per æthera pennis Regni divulgarent Aquilæ, Serenissimum Poloniæ Solem CASIMIRVM è viciniori Cæli vindicatum nubibus in Patrium reduxit Hemisphærium. Tanta Paterni splendoris majestas ad Filios deducta Lechicum hactenus irradiat Orbem. In Celsissimum STANISLAVM LVBOMIRSCIVM Archimareschalcum Regni Germanum Tuum, qui Paternæ virtutis typus, tantùm gloriæ Polonæ Genti dedit, quantùm illa optare, sed vix sperare potuit. Continuat immortalis gloriæ historiam Celsissima Proles, Celsissimus & Illustrissimus Dominus THEODORVS LVBOMIRSCIVS Capitaneus Scepusiensis, cujus virtutes & encomia Austriaci notant fasti. FRANCISCVS & JOSEPHVS LVBOMIRSCII Legionum Præfecti Celsissimis titulis graves. ANNA FABII LECHICI ADAMI de Granow Comitis in Mysz & Szkłow SIENIAWSKI, Castellani Cracoviensis, Supremi Exercituum Ducis Consors Amazon Sarmatica. In HIERONYMVM LVBOMIRSCIVM

Ca-

Castellanum Cracoviensem Supremum Exercituum Ducem, *cujus victorijs & trophæis ampla volumina non sufficiunt. Ille Heroum exemplar, viginti Conflictuum Victor, barbarorum flagellum dici meruit. Sequitur vestigia Patris, numerosa in commoda Patriæ Progenies*: GEORGIVS LVBOMIRSCIVS Capitaneus Boguslaviensis Legionum Præfectus *Martiali Parentis Spiritu in ardua quæque & fortia animatus.* IOANNES & ALEXANDER LVBOMIRSCII, *ille* Eques Melitensis, *hic* Culinæ Regni Præfectus, *uterq; non vana virtutum & laudum Paternarum successio.* ANNA WIELOLOPOLSKA Palatina Siradiensis, *ipsa suum superat sexum.* In ALEXANDRVM LVBOMIRSCIVM Capitaneum Sandecensem, *suo nomine majorem & si Fata permisissent, maximum futurum, qui Diademati Principum pretiosos donavit uniones*: GEORGIVM LVBOMIRSCIVM Castrorum Regni Metatorem, *qui vera Martis Imago Imperatorum Romanorum amor, pro quorum gloriâ*, Imperij Princeps & Generalis Legionis Præfectus *eò feliciùs, quò dexteriùs militat.* IOSEPHVM LVBOMIRSCIVM Episcopum Nominatum Chełmensem Abbatem Tynecensem, *cui cum Roma Pedum porrigeret, Libitina Cupressum inseruit.* MICHAELEM LVBOMIRSCIVM *olim* Subdapiferum Regni, *animi elegantis medullam.* ANNAM Comitem in Wiśnicz & Iarosław MAŁACHOWSKA Palatinam Posnaniensem, Corneliam Polonam, *omnibus Encomijs majorem Heroinam.* Tuas verò Celsissime Princeps *dum aggredior laudes, in mutam Memnonis statuam obrigescere videor, & quid loqui debeam, penitùs ignoro. Debilem enim Oratoris fatigas suadam, & virtutum Tuarum magnitudine ingenij mei hebetas acumen. Et jam lassatam per spatiosum* Celsissimæ DOMVS *Oceanum, Encomiorum Tuorum mari, naufragium metuens, ingenij mei non committerem Cymbam, ni innatæ benevolentiæ Tuæ sperarem malatiam. Primam ergo pueritiæ Tuæ Bullam dum concipio, Togatam adoro virtutem. Vix namq; firmasti rectò vestigia gressu, ubi Avos Proavosq; Tuos, ipsumq; Parentem victricibus redimitos Laureis, Purpuris nitentes, Trabeis & Fascibus ornatos spectasti, eorum vestigijs insistere statuebas,*

in tenello pectore jam heroicæ virtutis ignes concipiens. Ut tamen futuris victorijs in Literaria Arena eruditô præluderes certamine, Musis Te dicasti, quibus ac si inter illas natus esses, tantùm placuisti, ut Te suum venerarentur Apollinem. Nausearunt Castalios Fontes, ubi e Tuo FLVMINE *nectareas gustarunt undas. Tu Parnassi decus, Ingenij Tui celeritate omnes anteibas, & paucis mensibus, copiosam Eruditionis messem collegisti. Unde in Patrio Solo plenè eruditus, ad Exoticos properasti Soles, quos illustrares. Nihil jucundius Gallia, quàm Te Hospitem conspicere potuit, cujus Lilijs Tuô limpidissimô* Fonte *candorem augebas. Nil Hesperio Regno gratius fuerat* Te Phæbô *lucidissimô. Et cum alienô calebas Sole, Patria æstuabat Tui desideriô, cujus ubi Redux vota coronasti, illa Te supremis coronavit honoribus. Quanquàm Tibi honor omnis inquilinus & pedisequus est, Te sequitur & ambit, non à Te ambitur. Eâ namq; prodijsti* DOMO, *cui ancillatur Fortuna, & omnis militat Honos.* DOMVS TVA *Regalibus Imperatorijsq; cognata Coronis, semper per culmina honorum volitat, Fascibus Trabeisq; ornata. Tu tamen ne Solis Majorum clarescas splendoribus, Virtutum meritorumq; Tuorum luce fumosas* Avorum Atavorumq; *illustras Imagines. Spectavit Orbis Austriacus Tuam sui* Principis *virtutem, & quod ab Oriente tristem non noverit Occasum,* Soli Sarmatico IOANNI & Tibi *primæ magnitudinis debet Luminari. Erubuit pallida Orientis Luna, ubi* SRZENIAVII *Bystoniô rubuere Sangvine Fluctus. Imò Eclipsim pati debuit, cui se &* Lechicus *oppofuit* Phæbus, *& Tua mucrone gravida in ictum levata manus fatalem impressit umbram. Firmissimam immortalis gloriæ posuisti basim, hosti ad Strygonium Ponte subrutô. Hinc tot Laureis redimitus* Victor *Coronato Lechiæ* Marti Serenissimo *olim* IOANNI III. Poloniarum REGI, *tantùm adhæsisti, ut quem Orbis horruit Macedonem, ille Te suum Ephestionem intimô foveret pectore. Nec potuit Te non amare, quem tot obligasti meritis & muneribus. Quippe inter festivos gratulantis Patriæ plausus, etiam Tu victoriarum Censum, Turcarum illi pendebas mancipia. Nec decuit victorijs enutritum Heroem alijs muneribus, quàm vinctis hostibus obstri-*

strictam sibi reddere Majestatem. *Et jam cum omnes fortitudine viceris, Cælum auro oppugnare non cessas, profusâ liberalitate onerare non desinis; ut à Te fatigatum, dulces solatiorum refundat imbres. Refundit, & pro auro, auream reddit Prolem, quam à Cælo donatam, Cælitibus educandam tribuis, ut eam in Patriæ delicium gratijs enutriant. Thaumaturgum* Antonium Prolis Tuæ *Custodem & Tutorem statuis, bene est, ab* Antonio *enutrita, olim Regna bibet, nata ad Coronas. Ad tantam splendoris majestatem, non minus accedit Lumen ex* Illustrissima *& Dijs proxima, quia* Iovi Sarmatico *consanguinea* TARŁONVM DOMO, *ex qua pretiosam Gemmam, ad Tuum traxisti* SRZENIAVAM. *Nempe* Celsissimam Conjugem Tuam *olim* STANISLAI TARŁO Palatini Lublinensis Lectissimam Filiam, *Orbis Poloni* Pulcheriam, *cujus laudes & Encomia cum facundiam excedant, dixisse sufficiat; in ea natam esse* DOMO *in qua si possent, Dij nasci vellent. Nondum Orbis Polonum adoraverat Nomen, cum* TOPOREORVM FAMILIA *perennaret. Imò Campi Poloni, quòd ex incultis sylvarum tesqvis in Elysios mutati, copiosam Laurearum proferant messem,* Illustrissimæ TARŁONVM *debent* ASCIÆ, *quæ cum primo Lechiæ Parente cuncta componens, suo & Polono Nomini immortalis gloriæ theatrum extruxit. Ex hac* DOMO *unô minores Iove prodiere Viri, qui inter duodecem Palatinos Polonis Gentibus Iura dabant. Inde recentioris memoriæ Martiales animæ non interruptam sæculorum continuant historiam,* HIERONYMVS TARŁO *suâ virtute æstimatissimus, qui victorijs enutritus, & veloci ad Patriæ præsidium assuetus sonipedi, Senatoriam Palatinatûs Sandomiriensis Curulem à* SIGISMVNDO Poloniarum REGE *ultro oblatam recusavit.* IOANNES TARŁO Palatinus Sandomiriensis *Arte & marte inclytus, ex utroq; Cæsar, Camenecum ex faucibus hostis eripuit, & ad hunc Lapidem triumphales elicuit ignes.* PETRVS TARŁO Lechicæ Fortunæ Petra firmissima, *belli fulmen hostibus Patriæ metuendum.* OTTO TARŁO Lechicus Cyneas, *ad Othomanicam Portam Legatus, non suo duntaxat Nomini, sed etiam universo Lechico Orbi æternam gloriam, suô paravit Eloquiô.* PAVLVS TARŁO Archiepiscopis Leopo-

poliensis, *Vas Electum.* BARTHOLOMÆVS TARŁO Episcopus Posnaniensis Patruus Celsissimæ Conjugis Tuæ, *Pastor bonus in Ecclesia, & Pater Patriæ in Senatu.* IOANNES TARŁO Episcopus Kijoviensis, alter Patruus, *verè Ioannes quia gratiosus; Gemma Præsulum. virtutum Compendium, modestiæ typus & Sanctioris vitæ regula.* PETRVS TARŁO Episcopus Posnaniensis *& laudari & amari dignus Religione Numa, bonitate Traiano melior, & omni honore major.* NICOLAVS TARŁO Cancellarius Regni, CAROLVS Vice-Cancellarius, SIGISMVNDVS Beliensis, IOANNES Radomiensis, IOANNES Polanecensis Castellani, IOANNES Incisor Regni, STANISLAVS *olim* Culinæ Regni Præfectus. ADAMVS TARŁO Palatinus Lublinensis Germanus Celsissimæ Principis *vera Paternæ virtutis Imago, & Laudum vastissima materies. Infinitum esset utriusq;* DOMVS *ad calculum revocare decora, non modò exiguâ paginâ, sed nè extensis quidem voluminibus concludenda; nam quemcunq; requires, hac de Stirpe Virum, certum est de Principe nasci. Hinc ad* Celsissimum SRZENIAVAM *cui veluti Iordani Dignitaria* TARŁONVM *innatat* Ascia *tot Altissimarum Familiarum Sangvinis illabuntur Fontes:* Wisniowiecciorum, Radivillorum, Czartoryisciorum Sanguszkonum, Zbarasiorum, Ostrogiorum, Sapieharum, Ligęzarum, Potocciorum Sieniawsciorum, Lanckoroniorum, Olesnicciorum, Zebrzydoviorum, Koniecpolsciorum, Wielopolsciorum, Tęczyniorum, Osoliniorum, Małachowsciorum, Koryciniorum, *& si longiori computabis syllabô, huc ibunt totius Lechiæ, Lumina, quæ cum Ingenia excedant, in Te clauduntur, verius quàm in Pantheo Numina. Atq; jam in ipso Laudum Tuarum exordio, epilogum Dictioni pono. Et cum* VIRIDARIVM SANCTITATIS *sub* Tuo Celsissimo NOMINE *luci publicæ aperio, ut ad perennem Orbis Poloni gloriam &* Celsissimæ Familiæ *decus in Nestoreos Annos Felix & incolumis floreas, precor.*

Celsissimæ ac Illustrissimæ
Dominationis Vestræ.

Humillimus servus & Cliens.

Author Operis.

ORATIO.

SUblime Virtutum MAGDALENÆ de PAZZIS augustale minùs phaleratô verborum subintrare cothurnô, & excelsum Perfectionis illius Olympum Oratoriâ involare pennâ, plenum periculi opus est. AA. Adeò namq; perplexus & difficilis Elogiorum MAGDALENÆ probatur tractus; ut etiam velocissimi ingeniorum motus, vel in ipso dicendi limine, à recto itineris exordio in obliqvum vertiginis anfractum rotari cogantur. Imò tendentibus ad consumatæ Sanctitatis MAGDALENÆ culmen, armata in Arenis instruitur acies; contrà imbelles Oratores pugnatura. Celeres licèt Rhetorum Gradationes quò citatiore passu in Elogia hujus VIRGINIS excurrere nituntur, eò magis fatigatô impetu in Arena retardatæ, à proposito detinentur itinere. Et quàmvis nonnulli sublimis ingenij pennîs in Stellati CARMELI verticem evolare contendant, ubi Virtutes MAGDALENÆ clariùs speculentur; verendum tamen illis est, nè

ad ardentes ELIÆ Flammas adusti, Icariæ sonitum ruinæ experiantur. Imò districtus SERAPHICI PATRIS mucro fatale quid illis minari videtur, ni dignam SERAPHICÆ VIRGINI elogiorum adferant victimam. Fulgurans halybei pugionis splendor curiosæ palpebræ everberat aciem, quæ profanô lumine tantam Virtutum majestatem præsumit intueri. MAGDALENA quippe Stellati CARMELI radians Cynosura est, quam nemo impunè cæcutiente pupillâ absq; lachrymarum nube adspexerit. Rubum dixerim Elianîs Ignibûs ardentem augustam MAGDALENÆ Sedem CARMELUM, ad quem non cuivis patet aditus, quia Locus Sacer est. Quis ergò splendidô verborum apparatu eminere præsumet? ubi MAGDALENAM CARMELI nubes, & Religiosæ modestiæ velum obducit. Non deest fateor dignitaria Reginæ Animorum Eloquentiæ purpura, sed hæc ad candidum ELIÆ Pallium erubescit. Jactat illa splendida verborum lumina, verùm & hæc ad Syderum CARMELI splendorem extingvuntur. Floridum quidem Virentes Festorum Feriæ ad verticem CARMELI sternere videntur iter, pes tamen invitus in floribus aculeos, & in herba angves expavescit. Verbô; inter Ignitarum Lingvarum affluentiam, quibûs hodiè disertissimi facti Apostoli, ubi encomia MAGDALENÆ celebranda; facilè cujusvis Oratoris lingva obmutescit. Nitere tamen imbellis Oratoris Svada, nitere in excelsum CARMELI verticem, & vide visionem hanc, nimirùm: coruscum Virtutum MAGDALENÆ splendorem clariùs intuere. Si arduus in sublime terret ascensus? Triumphalis ELIÆ Currus præstò adest. Si obvias rupes, ne pedem offendas, times? SERAPHICUS PATER alas non negabit. Ver-

bo-

borum floribûs ſi cares? hos in pingvi CARMELI Solo, amplô colliges proventu. Si verborum parſimoniam, & ſiccam dicendi materiem incuſas? utrumq; CRYSTALLINUM ad CARMELUM Gratiarum MARE ſuppeditabit, irrigabit. Et jam Montis verticem attigit, imò: ad Penſiles Semiramidis Hortos ſe tractam putans facundia, rapitur in ſtuporem. Hinc fertile CARMELI admiratur Solum, illinc mirô diſtinctos ordine Virtutum MAGDALENÆ ſpectat Flores, & ſuavem probitatis illius ſentit odorem: ut inter tanta Florum & odoris illicia, inauditâ dulcedine repleatur. Benè eſt; VIRIDARIUM SANCTITATIS in CARMELI Solo plantatum D. MAGDALENAM declarabo. VIRIDARIUM cum ſis D. VIRGO: langvidum Oratoris recrea ingenium, nè in Tuis fatiſcat elogijs. Vos verò AA. VIRIDARII hujus amænitatem ſpectaturi, benevolæ attentionis ſpirate favonios.

Ad amænas virentis Maji ferias optimè ſibi conſuluiſſe videtur facundia, ubi ad dulcem animorum oblectationem, in Viridarium Auditorem invitare ſtatuit. Novit quippe prodigioſum naturæ partum, blandam animorum voluptatem Viridaria, adeò langvidas mortalium recreare mentes, ut ea, inter triſtia mærorum nubila, veluti clariorem poſt umbras Phæbum, avidô inveſtigent conatu. Vnde videre eſt, poſt ſævientis brumæ algores, ut apum agmina, ad mellifluam Hyblam, ſic mortalium, ad hortos, deliciarum domos, convolare catervas; ubi dulcia oblectationis ſumant libamina. Non immeritò primus rerum Conditor primum producturus hominem, Hortulanum agere voluit; ut novo terrarum Incolæ, novum plantaſſet Viridarium. Nec priùs homini vivere quàm delicioſo

Paradysi Horto virere dedit, quem inter millena aurei licet sæculi gaudia tristem fore putavit; nisi habuisset: in quo dulcem sinè mæroris felle, duxisset vitam, Viridarium. Inde pulsum mortalium genus alibi hortos quærere cæpit, post divisum enim inter Deos Deasq; Orbis imperium, nè hortorum abrogaretur cultura, Chloridi Deæ in regimen cessit; ad cujus nutum, oculis blandimenta, animis delicias, flores, terra proferret. Hinc veneranda, nisi superstitiosa fuisset, Antiquitas, tot floridas plantatricis Deæ spectavit Colonias, jam Pæstana Roseta, jam Thessala Tempe, jam deliciosos Alcinoi, & Pensiles semiramidis Hortos, jam variô florum distincta genere Phæacum Viridaria, cum stupore & dulcedine mentis mirabatur. Hinc niveô tumentia candore Lilia, illinc flavescentes Narcyssos, & demissô cultu certantes violas, ipsos deniq; Principes amænitatis Hortos speculata. Sed ah miseram fluxamq; nimis hortorum gloriam! & brevem ostentationis pompam! qui quô virent, eôdem deflorescunt momentô, ac excussâ foliorum luxurie, oculos amænitate, & se se venustate absolvunt. Venustius hodiè in CARMELI Solo plantatum Vobis panditur VIRIDARIUM AA. D. MAGDALENA de PAZZIS, cujus si primam recensebitis radicem, & flores carpere licebit. In fæcundo hortorum Solo, in Hesperio Regno, primam sui explicat stirpem VIRGO SERAPHICA, ut & ipsa feliciore syderum fæcundata influxu, in amænum SANCTITATIS crescat VIRIDARIUM. Prodit in lucem Genirore CAMILLO, quem Dictatori non absimilem experta Florentia; ille enim laureis ornavit Imperium, ab hoc cultiùs florere cæpit Florentia, VIRIDARIO MAGDALENA

fæ-

fæcundata. Ad Padi Tiberisq; ostia locari voluit nobile germen, ut præstò haberet undas, quibûs irrigatum, in Virtutum flores excresceret. In Sacro Baptismatis Fonte CATHARINÆ sortitur Nomen, ut VIRIDARIUM futura, natis chara existat, & Sanctioris Junonis Tutelaris suæ lacte fæcundetur. Et jam in VIRIDARIO nostro gemmantes Virtutum pullulant Flores, hinc modestiæ assurgunt Violæ, illinc vivam spirantes purpuram verecundiæ Rosæ, alibi intaminatæ castitatis Lilia, ut tota in SANCTITATIS VIRIDARIUM cessisse crederetur. Necdum gressus formare didicit, & jam de Virtute, scandit in Virtutem. Pietatem à teneris ita coluit; ut eam cum lacte suxisse videretur. Hinc Infans nondum verba promere potuit, jam pijs in Deum diserta precibûs, exiguam tenelli corporis quantitatem Virtutum magnitudine extendebat. Omnem in suum Pectus quasi in quoddam augustale, Virtutum deduxit speciem, omnem complexa probitatem, aliter se non fore VIRIDARIUM rata; nisi omnes SANCITATIS Flores contineret. Nullum hìc inutile levitatis gramen, etiam Argi notasset pupilla, nullam imperfectionis herbam advertisset, ubi tota florida Virtutis Provincia plantata fuerat. Nullus lænociniorum mundi favonius afflavit, nec impurus VIRIDARIUM hoc adussit sirius, Solius D. Spiritûs operante calore, suaves SANCTITATIS germinavit Flores; quos nè pestilentis mundi inficeret aura, solitariam agebat vitam. Cordis sui penetralia Virtutum stipavit satellitiô, ut Soli pateret Deo, quem ut citiùs ad se alliceret: perpetuam illi vovit Castitatem. Bene est D. VIRGO, VIRIDARIUM es, ut Cælestis Agni aureô diteris vellere, eundem Liliîs Casti-

tatis paſcas, neceſſe eſt. O ſummam in tenella MAGDALENA Virtutem! vix decennis Puella, tardum munus eſſe ſciens, autumnum vitæ Deo dicare, non florem; catenatam ſceleribûs mundi exoſa libertatem, ſeſe Divinæ mancipavit ſervituti, tantùmq; in Virtute profecit: quantùm nec ſenilis poterat ætas. Necdum pueritiæ exuit prætextam, jam Togatam Virtutum præſefert majeſtatem. Inter homines, nil humanum præter carnem gerens, continuô in Deum Orationis ferebatur impetu, imò humanam fugiens ſocietatem, ad Elianum Clauſtrum, ad MARE Gratiarum MARIAM ſe ſe transferre intendit. Sed quid agis ô tenerrima VIRGO! VIRIDARIUM es, ergone Orbi Tuam ſubtrahes amænitatem? Siccinè odorem Tuum, quô totus recreatur Orbis, ſeniô conſectæ Genitorum reficiuntur vires; totaq; Nobiliſſima repletur Domus, anguſtô ELIÆ ſupprimes Clauſtrô? ſiccinè Soli æmulam vultûs Tui majeſtatem, & blandientem explicatæ Frontis decorem raræ verecundia theatrum, CARMELI nube obduces? ſiccinè gemmeam Corporis Tui venuſtatem, nè intuentium recreet oculos ELIÆ Palliô velabis? En arida Parentum ætas, ſalſis irrigatur lachrymis, en nivea Canities atrô mæroris temeratur ſquallore, Tê gemmeâ oculorum pupillâ, & floridâ capitis Coronâ decidente. Splendidior Tibi paratur thorus, nobilior Te vocat Hymen, & nativi Sangvinis Purpura, Tuos exambit operire lacertos. Verùm tenera licèt, tenax tamen propoſiti VIRAGO, velut immota rupes, nec lachrymîs, nec prece flecti, nec blandîs, mundi delicijs emolliri potuit, & cum VIRIDARIUM foret, terreno ſponſo herbam porrigere recuſavit. Pergit ad Eli-

anum

anum Clauſtrum, ut immundum mundi vitet oculum ſoliq; pateat Cælo Caſtiſſima VIRGO. In excelſo CARMELI Colle locari cupit, ut à terrenis amota illecebris, liberiore paſſu Seraphicis pennis in Cælum evolaret. Nec alibi tutiùs plantari potuit VIRIDARIUM noſtrum, quàm in fertili CARMELI Solo, ubi & MARIANO inundatum OCEANO, & Aſtris vicinius, benignô Cælorum fæcundatum influxu Virtutum flores parturiret. Vtq; mundo penitùs ignota foret, Charum CATHARINÆ Nomen, in flebile MAGDALENÆ mutat vocabulum. Ipſa Pietas, maximam ſe peccatricem vocari jubet, & lachrymarum profluviô, quæ non fecit, peccata abluit, an ſe ipſam alluit; ut jucundiùs floreat. Vnde videre erat umbroſos Religioſi clauſtri angulos, Virtutum MAGDALENÆ radijs illuſtratos, & orbatas ſyderibus noctes inſomni MAGDALENÆ novâ coruſcaſſe luce, ubi SERAPHICA VIRGO, charitatis oleum devotionis fervore accendebat. O quâ animi contentione! quô impetu mentis! quô Spiritus ardore ſe ſe Pietati addixit! quâ Virtutis flammâ rapiebatur! quô Divini amoris æſtu exardeſcebat! Novitia VIRGO Magiſtram Virtutum egit, unicum Religioſæ vitæ exemplar cunctis in eâ admirantibus. Tantam Virtutis ſublimitatem, o quàm profundâ declinabat humilitate! En MAGDALENA obedientiæ victima; humilitatis abyſſus, pias laboribus erudit manus, viliſſimis contenta obſequijs, nutus omnium, quibus pareat, obſervat. Inter omnes Sanctitate maxima, minimæ ancillæ obit Officium, & quam omnes in ſupremo perfectionis gradu ſtetiſſe noverant, MAGDALENA nè unô quidem paſſu ſe in Virtute profeciſſe aſſerit, ita ad modeſtiam compo-

ſita, acſi illius eſſet compoſitum. Ita ſanè profundiora flumina mitiore decurrunt ſuſurrô, plena liquoribûs vaſa minimè ſonant, & pretioſa auri ramenta mitè tinniunt, nec aures everberant. Et D. MAGDALENA quò majore Virtutum fulgebat nitore, eò ſe magis ad Sanctæ modeſtiæ umbras componebat, quò celſiore perfectionis culmine Cælos tangebat & aſtra, eò ſe profundiùs in humilitatis abyſſum occultabat, ut palàm monſtraret, ſe eſſe SANCTITATIS VIRIDARIUM, cui etiam humilitatis violæ non defuerant. Patientiam propè Divinam, quis non admiretur in D. VIRAGINE? en innocuam corporis aream, ſævîs diſciplinarum ſulcat aculeîs, ut uberrimam Virtutum germinet meſſem. Jmò miraculum Patientiæ MAGDALENA tot fatigata diſciplinîs, tot cæſa flagellîs, vix ſpirat & ad majora aſpirat, majora pati deſiderat, langvorem occultat, nè à patiendo arceatur. Ut Virtutes aleret, diuturnâ ſe ſe premebat fame; ut ſe vinceret, ſe ipſam armabat. Ferreâ aureum corpus ſtringebat catenâ, ut animum libertati aſſereret. Ut Virtutum floribus non deeſſet vigor; ſe aſſiduîs exhauriebat laboribûs. Ut hoſti palmam præriperet; ſupplices ad Superos tendebat palmas. Ut altiùs aſſurgeret; ſe ſe proſternebat. Divini amoris flammâ exardeſcebat; ut inferni furorem extingveret. Pallebat jeiunijs; ut ardens virtutis deſiderium accenderet. In Sanctitatis ſemita nè unquàm corrueret; ſe ſe Cælo inclinabat. Nè probitatis vigor areſceret; torrentes oculîs deducebat. Ut ſpectabilem animæ redderet faciem; fletu genas temerabat. Et jam probata MAGDALENÆ Virtus Supremo placuit Numini, jam latè diffuſum florum VIRIDARII noſtri odo-

rem

r m senſere Superi, & nè Sanctiori Heſperidi, hoſtis animæ aurea Virtutum bellaria rapere tentaret, Leonibus cuſtodiendum VIRIDARIUM, deſtinarunt. Sed ah iniquos VIRIDARII Cuſtodes! quos ad plantas VIRGINIS mites fore putavi agnos, averni furiæ ſunt! quæ totam exerunt vim, ut ſuaves VIRIDARII noſtri flores eradicent. Quid ages ô INNOCENTISSIMA VIRGO! ſceleſta inferni rabies omnes in Tui interitum concitat Eumenides, & totam iniquorum Spirituum ciet Æoliam, ut ardentem in pectoris Tui ara Divini amoris ignem extingvat. Non metuit Divinô animata Spiritu & ſolidô Virtutis armata clypeô VIRGO væſanos inferni furores, auxiliares nonniſi cælitùs vocat copias, ut hoſtem triumphet. Sæviebant integrô quinquenniô averni furiæ in mitem VIRGINEM, jam horrendis ſpectaculis intrepidam MAGDALENÆ terrendo mentem; jàm verbis & verberibûs à recto Virtutis tramite avellendo; jam religioſæ vitæ tædium & abominationem ingerendo; vt hôc dolosô aſtu innocentem circumvenirent VIRAGINEM. Verùm invicta Amazon MAGDALENA, VIRIDARIUM ſe eſſe non ignara, & Laurus ſibi adverſus fulminantis inferni tela adeſſe certa, nec ſub tribulationum pondere in altum ſurgente Palmâ carere potuit. En ab ipſo Æterno Patre Sancta animatur Bellatrix, quam ille Virtutum ſciens VIRIDARIUM, hortum nominavit: Age viriliter; & eſto robuſta in omnibus; nàm ſi præceptis meis morem geſſeris, anima Tua erit mihi, ſicut hactenùs erat, hortus delicioſiſſimus. Vicit væſanum inferni furorem; eluſit doloſas hoſtiles artes, fugavit avernalium Leonum ferociam, & cum VIRIDARIUM eſſet, hoſti Palmam non præbuit. Bo-

num certamen certavit; victoriam consumavit; æternam Cæli coronam meruit. Vera CHRISTI Sponsa ut noscatur, prætiosô ab illo subarrhatur annulô, digna tantô sponsô, quam felici æternitati desponset. Cælo dignas MAGDALENÆ Virtutes & merita, immortalitatis circulô terminari necesse fuit. Floribus ornatam Amazonem, imò VIRIDARIUM ad Cælestes nuptias annnulus novit. Laureata victrix MAGDALENA Cælestis Nobilitatis Insigne à CHRISTO reportat. O summam MAGDALENÆ fortunam! cui Cælum ipsum in æternæ amicitiæ fædus, non dextram, sed & annulum tradit, suum ei spondet affectum. Imò FLOS ipse Nazarenus Lilium Campi ad MAGDALENAM properat, ut verum demonstret VIRIDARIUM, inter cujus Virtutum flores dulcissimè commoratur. Ab Horto Concluso MARIÆ Utero ad MAGDALENÆ VIRIDARIUM divertit, nullibi post maternum gremium quàm in VIRIDARIO MAGDALENA versari cupiens. Instruat Florum dapibûs Phæbo mensas Ægyptus; VIRIDARIUM MAGDALENA Solis Justitiæ pabulum est. Tantô ergò nobilitatum FLORE VIRIDARIUM, altiùs erexit verticem; & Cælum versùs per continuas elevabatur extases, ùt non jam terrenæ innixum glebæ, sed Pensile crederetur, quod toties terris invidendo Cælum, ad se trahere satagebat. Tota namq; Virtus tantùm occupavit MAGDALENAM, tantùm possedit animum; ut nihil terræ præterquàm ortum deberet. Patientis CHRISTI individua affectu Comes Passionem ejus tantô prosecuta amore; ut dolores Crucifixi ferre ambiret. Tota MAGDALENÆ conversatio cum

Pati-

Patiente CHRISTO & Dolorosa Matre. CHRISTI dolores in suo tulit Corpore, dulcissimas sibi rata delicias: cum sponso Crucifixo dolere. Pretiosa illius Vulnera in suo exprimi cupiens corpusculo, favore CRISTI recipit, nè sibi VIRIDARIO rubicundæ deessent rosæ. Albicantes olim, humanô sangvine rubere rosas, fabulosa asserat Pòësis; extra veritatis dubium, VIRIDARIUM nostrum purpureas HOMINIS DEI tinctas Cruore rosas, inter suaves Virtutum numerat Flores. Tantô Virtutum odore plena VIRGO SERAPHICA, nihil spirabat; quod non Cælis suave, nihil agebat; quod non floridum esset, nil deniq; locuta; quod adstantibus miræ suavitatis dulcedinem non stillaret. Omnibus affabilis, singulis jucunda, quidquid habuit, in egenos erogavit; & cum omnia expenderet; dives in paupertate, hilaribus exemplum, mæstis consolationis spirabat odorem. Nunquam vegetior; quàm in ægritudine, nunquàm lætior; quàm in dolore, nunquam saturior; quam in fame, nunquam liberior; quàm charitatis sponsi ligata vinculis, nunquam deniq; jucundiùs fragrans; quàm doloribûs attrita. Novitiarum Magistra non verbis, sed exemplis erudiens, omnes ad virtutis amorem suarum virtutum odore attrahebat; ipsa Virtutis regula, & vitæ Religiosæ norma. Si enim perfectissimam Virtutis Ideam operosus Zeuxes delineare voluisset, de innocuo MAGDALENÆ legisset vultu, quantus virtutis typus, quanta integritatis majestas. Imò si virtus cerni posset, MAGDALENÆ formam assumeret, quam in ea Cælestis Apelles florum depinxit coloribûs. Arborem dicerem SERAPHICAM VIRGINEM, in qua Sanctior Porphyrius CHRISTUS

STUS omnes virtutum deſcripſit ſpecies, niſi VIRIDARIUM probaretur. Felix CARMELUS tam delicioſô beatus VIRIDARIO, nunquam elevatior quàm laudibûs MAGDALENÆ; nunquam magis conſpicuus; quàm floribus Virtutum, nunquam fertilior; quàm tantô Probitatis germine. Nativa CARMELI Sydera nunquam clariùs radiabant; quàm miram VIRIDARII MAGDALENÆ elegantiam intuendo. Jmò pridem in ſuo fatiſcerent lumine, niſi illud à meridiè Virtutum illius derivarent. Sed ah triſtem metamorphoſim! ſæva Libitina hebetatam acuit falcem, ut Flores VIRIDARII noſtri eradicet, morbi conſurgit aquilo, ut ſuô VIRIDARIUM ſpoliet decore. Invidet Cælum terris delicium MAGDALENAM CARMELI decorem VIRIDARIUM rapere intendit. Sævit crudele Lacheſeos ferrum, & funeſtam MAGDALENÆ intentat mortem. Verùm inanis Parcarum conatus, MAGALENA mori nequit; quià pridem mundo mortua ſoli Cælo vivit. Adeoq; Virtuti mors ipſa, vita eſt; & cum moritur: vivere incipit. Germen optimum MAGDALENA, terræ obmoritur, ut copioſum Virtutis fructum Cælo proferat. Jmò VIRIDARIUM MAGDALENA fertiliori transplantatur Solo, quia Elyſijs Paradyſi campis; ut ſuperos ipſos ſuâ recreet amænitate. Virentes Maji feriæ DIVINISSIMÆ parentarunt MAGDALENÆ, ut eam florentiſſimum probarent VIRIDARIUM. Felix ille Majus! qui tantam Cælo protulit coronam, Orbi nonniſi atrô notandus lapillô, quem tam delicioſô orbavit VIRIDARIO. Viget ergò inter amænos Sanctitatis Flores ad Fontem Luminum, VIRIDARIUM CARMELI æternitatis cinctum diademate, ut Orbis di-

diſcat: tam anguſtam Virtutibus MAGDALENÆ extitiſſe tellurem; ut locum, in quo diutiùs ſtaret, non haberet. Ne tamen in Paradyſum translatô VIRIDARIO Orbis langveſceret; ſemina Virtutum & radicem Florum illius, Sacri Corporis exuvias reliquit; quibûs inter dolorum ærumnas miſeri terricolæ recrearentur. Plenam VIRIDARII noſtri ſuavitatem vel exinde colligere licet, quod Cælum impleat & Orbem. Vileſcunt Hyblæ Hymettiq; voluptatum deliciæ, quæ melleîs guſtum mortalium irritant favis, ſæpiùs tamen mentem humanam ſauciant, quàm ſatiant. Suaviori longè VIRIDARIUM noſtrum abundat ambroſiâ, quâ mortalium animos cum ſumma ſuavitatis dulcedine inebriat. Hæc eſt Sanctior Amalthæa, quæ veriorem Jovem, AGNUM inter Lilia pergentem Virtutum ſuarum nutrijt Floribûs, omnibûs cumulata gratijs, quas in mortales effunderet. Hinc mortui vitam, ægri medelam, triſtes dulcem ſolatiorum ambroſiam, debiles virium robur, perpetuâ caligantes nocte lucem derivant; & quidquid humana pietas per MAGDALENÆ merita à Cælis expoſtulat; in ſuo coronatur voto. Imò ſpes mortalium ſuperat, cupienda prævenit, vota præcurrit; adeoq; illi præſtare, quàm mortalibus optare eſt promptiùs. Tacebo ego, loquatur fama per Orbem Virtutes MAGDALENÆ. Orationi terminum pono, ubi illa ultimam vitæ clauſit periodum. Tacebo buccinante gloriâ; VIRIDARIUM MAGDALENAM ſi non ſatis probavi, ſaltim innui, Vos agnoſcite, quod ſuavis Virtutum prodit fragrantia. Plaudite ſorti & honori veſtro Religioſiſſimi CARMELI PATRES, quibus tam delicioſum

 ſum

ſum VIRIDARIUM in nativo Solo ſuam explicuit amænitatem. Felices Vos perpetuum vivere Majum quis non dixerit? cum & Horti Concluſi MARIÆ delicias, & VIRIDARII MAGDALENÆ dulcia oblectamina præſtò habeatis. Jmò Vos ipſi Ver perenne Virtutum eſtis, in quibus Virtus & eruditio ſemper vernat, & orbem recreat. Langveret toties Orbis, niſi à Vobis Virtutum & Eruditionis Floribûs fulciretur.

Tu verò VIRGO DIVINISSIMA poſtquàm Te SANCTITATIS VIRIDARIUM totus agnovit Orbis, diffunde in omnes ſuavem ſolatiorum fragrantiam, ut in Tuæ Sanctitatis currant odorem. VIRIDARIUM es! ergo in ſpatioſo Orbis Poloni Campo virentes pacis planta oleas; & nè ſub fulminantium fatorum ictu ſuccumbat; triumphales concede laurus. Regum Matrem Filiamq; Almam Univerſitatem Tuo Nomini devotiſſimam, Tui favoris recrea floribus, nè ſub annorum pondere fatiſcat. Mihi verò Tuæ protectionis porrige Palmam, qui Te devotô cultu in CARMELI Solo plantatum SANCTITATIS VIRIDARIUM.

DIXI.